

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

1291 agosto 16, Ind. IV, [Acquaviva delle fonti]

† Post incarnati verbi misterium anno millesimo ducentesimo nonagesimo primo. Regnante ... Karolo secundo, Dei gratia ... rege Ierusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Andegavie Provincie et Forcalquerii comite, regnorum eius anno septimo, mense augusti, die sextodecimo eiusdem quarte indictionis.

Nos Nicolaus iudicis Canionis, Aquevive iudex, Stephanus Francisci, puplicus eiusdem terre notarius et testes subscripti, liciterati de eadem terra ... notum facimus ... quod constituta in nostri presentia dompna Blancaperna, mulier, filia sire Alemi de Montecaveoso et uxor iudicis Stephani de iudice Leone, de Aquaviva, voluntarie cum predicto viro et cum consensu et auctoritate Nicolai fratris sui, dati sibi mundualdi seu coadiutoris a me prefato iudice, pro eo quod prefatus pater et legitimus mundualdus suus sibi in presenti contractu consentire non poterat, quia contrahebat cum eo, fecit, constituit et ordinavit prefatum sire Alemum, patrem suum, verum et generalem procuratorem suum ad omnes causas, lites seu questiones, quas dictam mulierem movere contingerit quandocumque, contra quascumque personas, coram quibuscumque iudicibus, ordinariis seu delegatis, secularibus seu ecclesiasticis, quoquo iure vel modo, dans dicta mulier dicto procuratori suo generalem, liberam et plenariam potestatem agendi, conveniendi pro parte sua omnes et singulos debitores suos, defendendi eam ab omnibus ipsam convenire volentibus, libellum dandi et recipiendi, litem contestandi, sacramentum de calumpnia in anima sua prestandi et cuiuscumque alterius generis sacramentum, testes producendi, testes adverse partis reprobandi, beneficium restitutionis in

integrum pro parte sua semel et pluries petendi et obtinendi, paciscendi, transigendi, debita recolligendi, alium seu alios procuratores loco sui ante litem et post litem constituendi, concludendi, renunciandi, sententiam audiendi et si necesse fuerit appellandi ab ea et causam appellationis proseguendi et omnia alia et singula faciendi, que verus et legitimus procurator habens liberum et generale mandatum facere potest et debet et que ipsius negotii qualitas exigit et requirit et que ipsamet principalis facere posset et deberet, si hiis omnibus seu aliquo premissorum presentialiter interesset. Promisit etiam dicta mulier cum tota predicta iuris sollempnitate sub ypotheca rerum suarum omnium se ratum habituram et firmum quicquid dictus procurator suus super premissis omnibus seu aliquo premissorum pro parte sua duxerit faciendum et sub eadem ypotheca promisit pro eodem procuratore suo de iudicato solvendo cum omnibus clausulis oportunis, me prefato notario puplico satisdationem et promissionem predictam pro parte omnium quorum interest et interesse proterit a predicta muliere legitime recipiente et sollempniter stipulante.

Unde ad futuram memoriam et tam predicti procuratoris, quam omnium quorum interesse poterit securitatem pariter et cautelam rogatu predictae mulieris scriptum est presens puplicum instrumentum per manus meas qui supra Stephani, puplici Aquevive notarii, signo meo solito et nostrum qui supra iudicis et testium subscriptionibus roboratum.